


V
B J
C

FRUCTUS
MERITORVM
HONOR,
EX AVITIS OLIM GERALDORVM POMIS
PRAESAGUS.

Nunc verò

ILLVSTRISSIMO

EXCELLENTISSIMO

ac

REVERENDISSIMO DOMINO,

D. NICOLAO MICHAELI

IN WYZYCE

GERALDO
WYZYCKI

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ

EPISCOPO CHEŁMENSI,

ABBATI CZERVENENSI, PRÆPOSITO MSTOVIENSI,

CONSECRATVS.

IN FESTIVO TVTELARIS SVI DIE

PER

Devotissimum Wyżycciano Nomini

Collegium Chełmense Scholarum Piarum

Panegyrica Veneratione

ADORNATVS.

Anno Virginalis Uteri Germinantis Fructum Vitæ

1699.

ZAMOSCIJ TYPIS UNIVERSITATIS.

J N

GENTILITIVM INSIGNE ILLVSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI Ac REVERENDISSIMI

ANTISTITIS.

I.

Quæ pyrus? aut citrio tã felix cortice pomũ?
Vt poſsit ſapidos ſemper habere bolos.
Punica Wyżyciæ fortunatiſsima Stirpis
Mala, quòd ad placidos ſint generata cibos.
Qvãquã nõ cuivis: Patriæ medicina; ſed hoſtes
Eiuſdem ſumunt inde venena ſibi.

II.

Et cedros Libani conſumit longa vetuſtas;
Tempus edax rodit robora dente ſuo;
Sed Crucis arbor erit per tot durabilis annos
Nomina quot poterit ferre Geralda Domus.

Ad

ILLUSTRISSIMUM EXCELLENTISSIMUM
&
REVERENDISSIMUM.

ANTISTITEM.

AD purpureum Præsuleæ Dignitatis muricem non erubescimus in pallēte folio fructus oculis, & manibus Tuis in devinctum munus præsentare ANTISTES ILLUSTRISSIME. Arboreo tantùmmodò partui has rerum vicissitudines natura indidit, ut ad Novembrales adhuc Kalendas ejusmodi destitueretur apparatu, nobis vel intra sævientes Decembris algores & folia, & fructus maturescere non est extra sortem, ipsâ Tuâ REVERENDISSIME PRÆSUL Illustrissima Stirpe fertiliùs ad hoc felicitatis incrementū cooperante. Nō enim adscititium quidpiam Tuis præsentatur obtutibus; nihil alienum Pastorali panditur dignitati, verùm Tuorum Meritorum adulti fructus in præmium emeritissimæ dexteræ destinantur. Equidem pridem hæc Tuo Nomini debebatur merces, conveniebat ad primum statim Infulati Honoris motū nostram quoq; tributariam moveri promptitudinem, sed non nescij cum gravitate magis Magnas Nominū

 adeun-

adeundas esse Majestates, vel ideò tardiores facti, potiùs ad annexam Solennioribus Ferijs Tui Tutelaris strenam, strenuiores Pastoralis Nominis, & Honoris Veneratores. Vlteriùs non potuimus intra modestiæ cancellos submissionis nostræ detinuisse parsimoniam, ubi vel ipsum Nicolai ethymon nil nisi profusam aureæ liberalitatis spirat munificentiam; non potuimus Tuis Te non convenire Fructibus, quandoquidem beneficæ Tuæ dexteræ sparsim eliquantur imbres, à quorum copiosiore influxûs latice, nec minimam Scholarum Piarum plantulam repudiare minimè dedignaberis. Habe igitur in strenam cum præsenti folio in mille vota, & obsequia explicatam tributariā pennā, habe Gentilitiæ Cruci affixā Minervam Scholasticam, habe supplicem, & suppliciatam Venerationem Nostram, quæ ubi Præsuleo adgeniculatur pedo, semper pedissequum Nomini, & Honori Tuo omnigenæ felicitatis apprecatur satellitium

ILLVSTRISSIMO
ac
REVERENDISSIMO
PASTORI SVO

Devotissimum Collegium Chelmense
Scholarum Piarum.

MERITA REVERENDISSIMI PRÆSVLIS IN ECCLESIAM.

PRæſidentis animi, an obluctantis ingenij ſuſpectum penna prodit ſpecimen, quæ in exordio tributariæ laudis finalem ſtatuit periodum. Rarum contingens: inter addenſatas lituras arrogantem minùs patere ſepiam, perindeq; coactum ſtylum artificioſo obliterari fuco: ſæpiùs hic ementitis nudatus coloribus ſpõtaneus Encomiaſtes videri deſinit, dum inchoativo verbo concatenat ſupremam vocem, atq; illa ex vaſtiſsimo eminet Nigroponto, dum Auguſtis Nominibus, quibus anguſtus Orbis, metã præſcribit terminalem. Bene arridet Magnæ Indoli quantumvis pumilio calamus, ſi tamen in gloriæ promontoria operoſo geſtit reptare tentamine, nec protinus ultimum trahit anhelitum tanquam prolixis virtutibus brevi concluſionem illaturus. Verùm equidem; metiri ſua regna decet, finesq; fateri: ſed quis ille Orator Geometricus, qui alienæ magnitudini circino definiat limitem? Invenuſta certè hujuſmodi panegyris, cujus arbitrio clamata totis Americes, Aſiæq; regnis rectèfactorum fama in exilem atomum coarctatur. Nemo derogare nititur affinitatem Poloniæ cum polo: fatentur ipſa terrarum contermina latifundia, imò etiam ſequeſtri Regia Bungi, multàq; alias Exploratorum indagine quæſitus, tandem indefeſſo unius Columbi labore inventus novus mundus admotam Superis Sarmatiam; adeòq; unanimi conſenſu evulgant, quòd non ſolùm hoſpitalem quondam pulſis è cœlo Dijs Ægyptum proprio diteſcere Nilo admirandum ſit, ac vicinum Deaſtris Septemtrionem cognatis exuberare novalibus portentoſum Ita ſanè nihil obeſt frigoris veredarius Bootes, gelidumq; propinans Arcturus imbrem, ut quandoq; Lechia ſuorum Civium facinoribus ſterileſcat: nunquàm illa non

ſperitate cœlorum fæcundior, non adverſitate fatorum locupletior. Et verò arduum negotium quamlibet lectiſſimam Poloni Orbis frugem ultra Balthici maris ſinus, Euxiniq; ponti littora propagatam cumulare laudibus diſpartitis; ſola placet Wyżyccianæ Domûs Pomona: hæc ſuavis illecebra ſtyli, hæc fameſcentis paginæ nobile alimentum. Quis neget malignantis licet ſupercilij Ariſtarchus, cui ſalubres deſipiunt cupediæ, quàm grata DEO, jucunda Patriæ, amæna Majeſtati bellaria ex Avitis Illuſtriſſimorum Wyżycciorum Pomis? Durant hactenus livido vetuſtatis intaminata morſu, nec deinceps edacibus conſumenda luſtris, quia palmari Crucis ſigno inſita diuturnam proſperitatem ominantur. Durant inquam veſano Gradivi inconcuſſa turbine, quia validos Gentilitij ſplendoris habent Aſſertores, quorum lacertoſa virtus illud ſemel Romanum effatum toties in ſuas traxit partes: Geraldorum eſſe agere, & pati fortia Nimirum adamantina Wyżyccianæ Propaginis Indoles ſemper ad omnem debacchantis fortunæ obduratur aſſultum, & cedere Fatis neſcia, ut pote boni publici citra nativæ diſpendia famæ avidiſſima. Libeat ſcrutari Aventinum; tantùmne Scipionis trophæa ſculpta in marmore? vel Cæſaris fortuna exciſa in jaſpide? forſitan ſenilis ætas adeò faſtuoſis characteribus deformē inaravit rugam, ut vix oculatus poſſit reperiri Argus ad legendum. Fortiùs inhærent Geraldorum veſtigia Palatinis culminibus; id enim Geniale Nomen inſonat, quòd Wyżyccios ſolùm aſcendere deceat ſuperiùs. Grandis hic Rhodus præcelsa meritorum luſtrare penetralia: facilior áusus, tametſi non Herculeo pedemate excubantem ad Heſperidum hortos inambulare draconem, ut inde pretium non vile laborum: aurea poma imbellis etiam reportet manus, quàm Oratorem Alcidem ſingulis inſudare Wyżycciorum Nominibus. Sufficis Tu REVERENDISSIME ANTISTES geminâ redimitus vittâ unus ipſe Antigonus pro pluribus, nempe Tuorum Antenatorum Excellentiſſimus, Tuorum Aboriginum Illuſtriſſimus. Et ſanè dignus es prælustribus ornari Titulis, laudibuſq; ſupra Majores extolli, cùm nihil in Te eluceat non Præſuleum, nihil non Senatorium, nihil non Civile. Pridem optabant ſæcula, ſuſpirabant luſtra, ac proinde ſegniore paſſu deſtinatum iter morabātur, ut talem venerarentur Pontificem, cujus Virtutibus inclareſceret Sarmatica tellus, donec illa affulſit ætas, quæ Nobiliſſimū

Avi-

Avitæ Crucis Partum vidit, suspexit, adoravit. Ita prorsus impletum est Coronati Vatis augurium: Lignum, quod in Wyżycciana Domo plantatum, dedit jam fructum in tempore. Potest abhinc Sanctissima Romanæ Ecclesiæ Majestas festiviores celebrare dies; nam si fundata supra firmam petram, nullum pertimescat casũ, potentiùs tamen Tuo firmatur adminiculo. Ingens profectò de Gentilitijs Splendoribus accedit Divorum cultus, & Orthodoxa Fides nativo satis licet irradiata lumine exoticis quoq; illustrior evadit luminaribus. Clarant abundè Tua Merita ILLVSTRISSIME ANTISTES militantem Ecclesiam, dum Sacræ authoratus militiæ tanquam pro sua Sparta interritus Leonidas, vel pro Thebis infractus Epaminondas, pro dilatando Veri Numinis Imperio strenuus desudas Stratiotes. Erudijsti adhuc Neoptolemus juveniles annos ad quodvis incommodum; inter ipsos Romuleæ Palladis lares assuevisti præliari bella Domini, & ubi Theologicam arenam continua velitatione lassasti, immensis tũc laboribus aptus eras. Nec quidquam Tibi proposuit obicem tenerior ætas, quæ alioquin multos depravat crepundijs, enervat delicijs, debilitat blandimentis, magis Tu propensus ad seria, velut maturus ingenio, senilis sensu impallescere libris attentabas, certus ejusmodi pallorem solita Metamorphosi in Purpuram commutandum. Quid provectiorem animum Aristotelico fæcundum intellectu non mendax fama memoret? nisi agrammatus literarum Osor tenuitatem mentis stolido affingere velit suffragio posthumis ipse exsibilandus Nepotibus; quanta Eruditionis in Te capacitas, ut etiam indocta Aristidis Pæcilia, indiserta Demosthenis Athenea, inculta Diogenis Cranea audiantur. Satis instructus scientijs, non parvum geris in pectore Divini Honoris zelum: ardet ille non extinguendus adversantium temporum tumultibus, æstuat non obruendus malignantium astrorum tẽpestatibus, calet non demoliendus grassantis brumæ frigoribus. Horridum spectaculum producere in paginam monstruosa stygis agemata, sed Tuæ theatrum gloriæ, cum sis illorum Triumphator. Prostravisti non semel sacræ Eloquentiæ acumine illas ambiguæ frontis Harpyias, quæ lenæ vultu, leænæ unguibus sive noxiam propinant luem, sive damnosam intentant scissionem. Exarmasti verborum lenocinijs perduelles illos Romanæ Fidei Danaos, quorum ingenium Cretense nunc astibus feralem stragem

 machi-

machinatur, nunc aperto Marte internecionem fabricatur. Deniq; illa malè animata vitiorum portenta exanimâsti fulmine linguæ, quibus solenne fædare mentem, polluere animum, dementare intellectum. At neq; istud fluido committendum elemento, quin potiùs æternaturis Cedris imprimendum vocale problema, quod toties inspirante Numine effari consuevisti: etiam proprio sanguine Te velle mercari Christianæ Reipublicæ salutem, si necesse. Inusitatum sanè miraculum! Obstupescit stylus ad tantam Præsuleæ Virtutis famam, hæretq; defixus memorato prodigio. Quid si cordis Tui arcana rimari permitteres? quàm ibi flagrans pateret sacri amoris Vesuvius, quandoquidē tales scintillæ ore promicant. Nemo ambigit in Tuis labijs diffusas gratias: affabilis eloquij facultas sæpè effrenes in licentiam animos sufflaminat, obstinatas mentes emollit, quodq; majorem laudis importat augem, ubiq; palmam obtinet. Gnarus es animorum Venator ANTISTES ILLVSTRISSIME: fortunatiùs Timotheo non modò minutiores onagros per abrupta fallaciarum discursantes, vel immorantes errorum cæno castores, atq; grandiorem prædam Mystico Salomonis ferculo litandam comprehendis. Somnum Tibi eripit fax mentis honestæ probitas, ut identidem propagandæ Ecclesiæ sollicitam impendas operam, cùm noveris inter delicatos Lunæ amplexus non oscitantem Endymionem ad perennem evigilare posse gloriæ orientem. Vidimus arcuato poplite vel in fastis adorari quondam sublimes Vittis Proceres, hac ferè ratione: quòd aliqui melleam in populos stillaverint scaturiginem, aliqui pretiosum metallum in Auditores seminaverint, quidni Tu ijsdem coæquari sufficiens? quem simul auro facundum Gallicanum Herculem, simul nectareum Stesichorum extra confinia Regni Poloniæ alienus Orbis auscultavit. Sic supra fidem utriusq; ætatis centuriatos pro Fide Romana gaudes experiri labores: utiq; promptus semper ambidextrâ tuâ Eloquentiâ sive tonare ad terrorem, ut dissolutos timor Domini componat ad virtutem, sive animare ad fiduciam: ut pusillanimes Divinus amor stabiliat in virtute. Enimverò non ore tantùm meruisti panegyrim ILLVSTRISSIME ANTISTES, manu quoq; Ecclesiam Tibi fecisti obæratam. Intumescat olim sumptuoso totius Asiæ censu vastum Dianæ fanum, artemq; Ctesiphontis pariter, ac Orientis fortunam sublimi ad astra inferat fastigio, poteſtnè adhuc insultare cælo? quod jam incine-

ratum

ratum bustis disparuit. Transcendat nubes acuminoso turgens solis colossus vertice, adhucnè præsumit sociari polo? qui jam de suo fastu remisit? Extendat se ultra Subsolani metas sepulchrale Mausoli pegma, tanqvam universo stellarum agmine fabrefactas gestiens serenare umbras, adhucnè præfidit cristatis cæli fulgetra prensare pinnis? quod jam supremo affectum deliquio fatis cessit? Nihil perenne, quod profanus exstruxit tumor. Iactabunda munificentia languido fundamento nititur, sæpè ad Occidentem vergens non ad Meridiem. Stat nullis immota casibus Te architectante REVERENDISSIME PRÆSUL condita Mstoviensis Basilicæ moles, cui Gentilitiæ Crucis insigne omnem ruinæ metum propulsans longævam addidit firmitatem. Minùs apricantur spatioso Domitiani opes amphitheatro; patentior Tuæ liberalitatis campus in sacro ædificio; ubi diserta semper & Numinis, & Fundatoris gloria demoratur. Profectò Nicolai genium ad vivum exprimis, sicut ipso Nomine censeri Benefactor, ita opere Mecænas esse exambiens, ut censori calamo justam correctionem injungas; multorum quidem nomina dissonare cum factis, NICOLAI verò ANTISTITIS consonare. Solet alibi captivum teneri aurum, damnariq; ad diuturnas tenebras, ut potè sæpiùs fugitivum, dum ex decreto avaritiæ sub ferrea servatur custodia, Tuo tamen judicio semper in libertatem asseritur; luciq; publicæ restituitur. Magnum existimâsti lucrum, pro sublevandis Altissimi Regis penatibus expendisse nummos, quorum sementis nisi in benedictam terram jaciatur, desperanda messis gloriæ. Non levem effecisti fortunam Tuam, quamvis apud plurimos levitatis arguitur; eo ipso præponderavit omnem divitis glebæ substantiam, quòd cum illa Tu quoq; MICHAEL libraveris lapides Sanctuarij. Promanat ulteriùs Tuæ munificentiæ Eridanus, neq; his littoribus arctari patitur, cùm præter Mstoviensem structuram plures Divorum Aras largo inundat cataclysmo. Etiam lippiente pupillâ Cimmeriæ noctes videre possunt, quàm pretiosam Pactoli tempestatem in sacras Ædes commovere laboras; ut ibi aurato quælibet supellex crispetur fluctu, ubi DEI Majestas sub nube adoratur. Facilè suspicari Venusinum in Te animum ex virtute Pulcheria progenitum, quia nunquam Turpilios lares in Deorum adytis manere connives, quin protinus illis de Tuo ærario commodes venusta

nusta

ſtatem. Planè firmiter inhæret Tuis præcordijs memorandus ille Entheus: Fruſtra Poloni cingimus oppida muris, & arces addimus arcibus, delubra ſi ſquallent, & altis Cælituum viret herba tectis; aſſidua namq; hæc Tuæ mentis operatio nudas Templorũ veſtire parietinas, incõpta ornare altaria, egenteq; ditare Eccleſiarum apparatum. Paulò majora dicenda non ſine plauſibili cælorum aſſenſu, quàm Neſtoreâ rude ante Tiaram dignus fueris, dùm præter currentis ſæculi morem totum Te æviternæ utilitati impendiſti, totum Divino honori mancipâſti, totum amplificandæ Fidei devoviſti; ſed ſi liberalis Tua dextera hoc duntaxat encomio celebrari poſſit: præceps illa manus fluvios ſuperabat Iberos, quid ſingulas pro Eccleſia partas virtutes diſtincta complecti panegyri? Longè accuratior Orator Liber vitæ Tuorum Meritorum prolixum ſyllabum comprehendit pro æternitatis gloria ſerò peroraturus. Vnicum excellens virtutis documentum ultrò ſe effundit in paginam, quòd humilem Eccleſiæ cætum jam Senator, jam Antiſtes, ab intimo affectu non proſcribas. Vix iſtud accidens in Orbe prædicabile; ſublimes clivos pygmæis facilitari poſſe conatibus. Refugit ſæpè familiarem congreſſum purpura cnm lacerna, & expolitum aurum deteſtatur plumbi viciniam. Exploratum eſt; ut in dignitatis faſtigium evectus quiſpiam fortunæ bigis, mox humi reptantem averſatur plebem, quaſi dedeceat ſolis oculum neglecta intueri mapalia. Procul à Te imaginabilis faſtus exulat REVERENDISSIME ANTISTES, qualiſcunq; es, non es acceſſu difficilis. Ad ſequacium recordationem annorum præclarum exemplum porrigis: non debere bicornem Infulam in animo creare cornua, Pontificiumvè pedum pedibus ſuis advolutos proturbare. Nôſti ſemper ſpontaneò contemptu vileſcentes Religionum Familias Religioſa proſequi comitate, nec aliquem abjectum ſæculo, pariter abjectum Tibi videri ſinis, cùm ſit major Tua propenſio ab ipſis pæne incunabulis collactanea in eos, qui ſunt non parva pars Eccleſiæ. Admittis & Scholas Pias in Tuæ benevolentiæ ſortem, quibus patrocinari neceſſe decreviſti, hoc tantùm argumento perſuaſus, quòd Tuo egeant patrocinio. Non Te ille reſpectus, qui quandoq; Procerum curulibus aſſidet, & nihil fruſtra præſtare cogit, dimovet à propoſito; paratus es immeritos Literariæ Pietatis Satores locupletare beneficijs, refovere gratijs,

cumu-

cumulare favoribus, ut discanr sub Wyżycciano Nomine beatos esse Pauperes. Iam autem longa Tuorum Meritorum in Ecclesiam series omnibus absoluta numeris, fortè etiam Tullianum potens defatigare ingenium, quomodò tenuitatem Eloquentiæ non deterreat? Sit satis velle metiri Præsuleæ virtutis fastigia: nunc ex submissione addimus coronidem, Tuis tamen laudibus nec metas rerum, nec tempora imponimus.

HONOR INFVLATVS

AB

ECCLESIA.

ABsiste dicax lingua; nec irrito
Aures susurro eluseris amplius,
Hucusq; si refers forensem
In superis habitâsse tantùm
Deæ bilancem sedibus; irritus
Est iste rumor, vana loquacium
Commenta nullis nixa fulcris,
Nulla fides seriesq; rebus.
Nondum Polono climate justior
Astræa cessit; transfuga partibus
Non est Lecheis, nec reliquit
Sarmaticas Themis alma terras.
Fastigiatis stat vigil atrijs,
Summosq; vallat legibus æquitas
Fasces, & in celsa curuli
Pollet adhuc gravitate recti.
Esto remotis exul ab Vrbibus
Post vsq; Thulen pellitur ultimam,
Sed inquieta mansione
Vistuleis retinetur oris:

Hinc est ut altis dentur honoribus
Ex æquitatis fœdere Nomina,
Hinc est ut in summis locentur
Culminibus nisi digna magno
Subjecta stallo; nil nisi præmia
Virtus reportat, nil nisi grandium
Census laborum conferuntur,
Et meritis datur eminere!
Et Tu supremis consociabile
Sidus Planetis taliter emines,
Et Tu Senator in Polono
Non aliter NICOLAE Cœlo
Fulges ut astrum; non aliter Tibi
In purpurato contigit agmine
Splendere, quàm quod justa merces
Pro merito Tibi destinavit.
Quantas dolosis fervidus ignibus
Technas coquebat livor? ut ardua
Non pertigisses; sed potenti
Prævaluit pietatis æstu
Illa illa recti conscia pectoris
Virtus, & ardens zelus ad Infulas
Pridem creatus, sic triumphos
Innocui cecinêre mores.
Quid Mstoviensis saxa Basilicæ
Quid de polito marmore providis
De Te loquuntur sumptuoso
Templa Dijs fabricata censu?
Quid liberalis dextera, pauperis
Patrona turbæ? multaq; pluribus
Addenda pulchrè gesta gestis
Unanimi sociata nexu.
Ecclesiasten Te super exedram
Dignum locarunt; pluraq; cogitant,
Donec subintret altiores
Emeritum caput ad Tiaras!

MERITA ILLVSTRISSIMI SENATORIS

In

PATRIAM.

FEracem decumani laboris indolem ex una tantùm circumstantia perennaturis mandare codicibns, pænè idem est; ac luminoso Astrorum Principi calorem, puniceis rosis fragrantiam, ardētibus pyropis negare venustatem. Accedit sæpè ingenuis mentibus effusior in laudem stimulus, & avara honoris posthumi magnanimitas non ita libenter clamoso petit laudari Heptaphono, quàm ubiq; locorum promeritis laureis coronari. Parùm sibi decorus videtur esse Phæbus, si everberantibus radijs circumfusam gestat cæsariem, nec aliquandò sua tempora vernāte corymbo vinciantur. Vsq; adeò nobilitat Herculem, & æripedis cervæ præceps insectator cursus, & difficilis lucta cum Antæo. Nihil Te ILLVSTRISSIME ANTISTES devenustant patrata etiam pro Patrijs focis facinora, æquè hinc effulgurat Tuæ gloriæ splendor, sicut ab Aris inextinctum jubar accenditur, ut gemino calle fortunatior incedas Hippomenes, nimirum Ardeatinâ Viâ ad ornamentum Ecclesiæ, Flaminiâ ad nativi Orbis firmamentum. Præivêre Tibi in Sago & Toga incliti Aborigines, qui tamen Magno Suo Nepoti Virtutis stadiodromum magnis emetiendnm passibus reliquêre; sed illorum quoq; edomitos exsudatosq; labores respexisse libet, cùm jam transtulêre aureo sculpenda cælo Nomina, quæ procul Memnóq; & Auroræ rubentis Regna legunt medijsq; vesper miratur Astris. Non est vilis conatus Geraldorum quondam heroica gesta revocare in memoriam, quos posteritas oblivionis veterno non recondidit. Bellis nutritæ animæ amant Oratorium stylum acuere in laudes suas, et inter armorum sterpitus educata indoles, gaudet Eloquentiæ campo spatiari. Multos plerumq; dura fati necessitas tam gravi premit marmore, ut ne minimam rimam, quâ in lucem pro-

dire liceat, facile reperire; in Geraldos solummodò clementior; quocunque velint, eorũ famam volitare permittit, quos à lege crudæ mortis immunes fecit Romani Pontificis cum Crucis Sigillo concessum Privilegium. Calcat lethi umbras Heroæ Virtutis incessus, repetitque descriptam proprio sudore arenariam Virilis gloria, ut videat, si quos livor temporis delevit laborum characteres. Et certè nõ delevit: spectabiles sunt Marte calentes Geraldorũ cunei, quorum quisq; felicior pro salute Patriæ ad Threjcias Cannas Æmylius, cordatior ad Tauricanam Trebiam Sempronius, animosior ad Mœoticum Thrasymenum Flaminius. Credimus imbellem Hectoris audaciam, & Æneam non æneum dicimus, cùm illorum sudor necquidquã grassantes in Trojam extinxit ignes; multò potentiores Wyżyccianæ Domûs Primores in superando quovis Natalis soli discrimine proclamantur. Assentimur magis præcipitẽ ad auri lucellũ Lucullũ, quã ad Põtici Gradivi æstum; Bellatores Geraldos non aurea fame, sed perẽnũte famà inescari ãteacta sæcula probaverunt. Bene à metallo Metellũ nominamus, prõptior hic ad corroganda ærarıa quàm ubi Patriæ in commoda suadent ære ciere Viros Martemque accendere cantu: at in Geraldis solus ferri amor pro Lechia, ut non immeritò dicendi Ferrerij, omnisq; præclari sanguinis Hæres ad ferreum laborem festinus Celerinus; quandoquidem teste Polono Cœlo: Pulchrior haud ulli triste ad discrimen ituro, & egregiæ tanta indulgentia formæ. Sic audentes semper, & ardentes publicæ incolumitatis Tutores nec frigidum unquam, nec meticulosum pectus gerunt, adeòq; sine chalybe interdum præliari palmare putant: nam virtus honesto læta periculo non ære fusis tecta timoribus bellare gaudet, non recocto Trinacria clypeo sub Ætna munire fibras, non adamantino lorica nexu aut impenetrabilis septemplicato parma scuto, aut rapidis Steropi caminis sudata cassis præstat ahenei securiorem fulgure tegminis, nec arte Brontæâ gelata fulminei simulacra Martis. Quid quòd architectantibus Geraldorum ausis ponè Tyram, ac Borysthenem locata Virtutis monumenta lustrare deceat, quoties ad pugnaces cujusvis de hac Familia obtutus Alpinæ rubuêre nives, & frigidus amnis mutatis spumavit aquis; quoties vos Thracia flumina testor, quæ largo mutastis sanguine fluctus; vos Hæmi gelidæ valles, quas sæpè cruentis stragibus æquavit invictum robur; quoties

ties vel exanimis pæne corruit Moschoviticus Draco, vel territa expalluit Othomanica Cynthia, vel Sueticus Leo dama cervoq; fugacior ibat. Quid quod nutantem Regni fortunam portentosa fortitudine suffultam memorare necesse? quam robustior Atlante quisq; Geraldus fuerit toties patienter ferendo Gradivi molem, toties vel injuriam aëris, vel tempestatem adversantis Bellonæ sustinendo, ut etiam Romana vetustas inviderit plures Sarmaticos reperiri Horatios, qui modò pro Patrijs Laribus ac pro põte sublicio immobiles stare, modò pro ampliando Polonæ gentis sceptro conflictari cum hoste assueverunt. Quid quod in Toga Consulares Geraldos venerari expediat? num formosior inter bipenes Quirinalis Majestas? ac pacata Sarmatia inter laticlavias suorum Civium curules? quibus facilè limato verborum delectu aspera fatorum explanare sancita, Platonico sensu perplexas rerũ enodare ambages, multisq; argumentis probare, quid juvat? quidvè nocet? ne solus in Attica Isocrates, in Epiro Cyneas, in Latio Hortensius, eruditus, facundus, excultus, atq; in Poloni Consi domicilio Togata Geraldorum Nomina æternarent. Quid ultra profari conveniens? singula complecti cuperem, sed densior instat gestorum series, laudumq; sequentibus undis obruimur. Implere potest ILLVSTRISSIME ANTISTES totam, quà se extendit procera virtus, nedum Eloquentiæ arenam, verumetiam frondescentes Heliconis recessus centuriatis facinoribus ingentium Titulorum conscius Parens Tuus ut potè simul Vexillifer Kijoviensis, simul cataphractæ militiæ Primicerius, quem redivivum Achillem suspexit Polona tellus. Nunquam ille non Comes Demetrij Wisniowieccij ad bellicum laborem; penes clavã Supremi Exercituum Ducis, probavit hoc non postrema fortitudine, quòd subinde minutiora Astra præsente Magno Planeta colluceant, tenuesq; colles præcelsis Alpibus suppares esse videantur. Definimus prima in primo ætatis flore odorare virtutum decora; patuit ex ipso nasci Sarmatas ad bella, cunabulaq; sua in hastis habere, cum & ille vix pumilus infans senserit galeas, mox reddidit ferocem vagitũ lituis: Mens ardua semper à puero, tenerisq; etiã fulgebat in ãnis fortunæ majoris honos; jã tũc cõspicu⁹ jã tũc venerabilis ibat, spõdebatq; Virũ celsi jubar igneus oris. Memoranda non sine gravi gemitu rebellantium Cosacorum barbaries satis celebrem ANTISTES ILLVSTRISSIME effecit Genito-

 rem

rem Tuum, vitamq; illi suis cædibus perennem comparavit. Ita multum prodest ad gloriam hostilis rabies, quæ dùm furiali clangore provocat in aciem oblivionis lethargo excitat virilem fortitudinem. Nihil proficit servilis insolentia; licuit quidem lusisse non de pede, sed de capite arcano Deorum permissu, licuit inquam insultâsse Poloniæ, quando in diversas partes bellorum tempestas Civiles distraxit ausus, at ubi conjuratum sociali fædere in plebejum Martem, protinus optata rediêre Alcyonia. Instat iterum Bellona ferox; laxis ordinibus frequens Massagetes citato cursu quotannis ad confinia Regni deproperat, ut Lechiæ fines diminuat, sed audijmus pro indemnitate communi pervigilem stetisse Wyżyccium, cui non segnis audacia in ferendis suppetijs, propulsandisq; terroribus, non invalida manus in carpendis adoreis, non imbelle pectus in reprimendis assultibus. Jam pænè visceribus ejaculata sæpiùs hæsissent Bessorum tela, jam Polonia ferocientis Bosphori impetita cornibus tragicum subijsset discrimen, si Wyżycciana Domus infractum Patriæ non protulisset Defensorem. Videlicet huius Virtute hactenus firmata populorum salus, ut nullum languorem sentiat; huius laboribus cunctorum felicitas propagata, ut angustiari nequeat; huius deniq; sudore Polonæ gentis gloria comparata, ut fluxæ vanitatis effectibus non obiaceat. Adhuc supersunt plusquam Spartanæ indolis specimina: qualis contra Orientis fastum Bellator Parens Tuus fuerit, dum vel ipse Tanais hostili tabo decolor avulsas Bistonum cervices fateatur, nisi admiratio pessulum linguæ imponeret. Profectò eliminanda hæc labes a Wyzyccianis Nominibus, quam in alijs languida manu pro panegyri decertantibus Censorius advertit calamus: cui nudus ensis, cui clypei timor, & entheati spicula prælij è corde proscripta in remotis exilium patiuntur oris: cujus gladios, quos quondam Tauricani prodiga sanguinis Thresso lavabant murice vulnera, consumpsit ærugo, & pendulo rasit senio vetustas. Altiùs non progredimur: succedis Tu ANTISTES ILLVSTRISSIME non degener ab inclyto Parente Filius, nempe priùs Miles, quam Mystes, priùs Martiali calore succensus, quam Sacro Flamine inflammatus. Novimus Te inter bellicos fragores festivum Auditorem; sive rauco fremitu sonuerunt tubarum iurgia, sive frendens sibilavit telorum impetus, & sternutantiū machinarum furor hinc & inde ferratis immugijt glan-

dibus

dibus, non timidæ mentis dediſſe documenta. Novimus ad conflictum deſultorio celeraſſe paſſu, & ubi validior hoſtis denſavit cædes & funera, ibi toroſas fatigâſſe vires, ut nobilior palma de ingenti labore Tibi pullularet. Adeò generoſus ardor plerumq; petit ardua, nec refugit ſalebroſum iter, in quo ſi pedē offenderit, caput reportat laureatum: ſiquidem heroa Virtus ſe generoſior in auſa trudit, perq; paciſcitur periculorum tela laudem, perq; acies volat ad triumphos. Pulcher Tu quamvis tenerioris formæ, jam chalybeo amictus cinctu Aſcanius, etiam cum immani Mezentio luctari appetens, quodq; Taumantias verè admirationis filia depluente ſudoris Tui imbre obſtupuit; nondū maturus ævo, jam fortis bello, jam Giganteum robur debilitare potens; unde hæc fama de Te: quòd ſcilicet nunc ANTISTES CHELMENSIS, quondam eximius Bellator, ſeu caput abdiderat criſtata caſſide pennis, in galea formoſus erat: ſeu ſumpſerat ære fulgentem clypeum, clypeum ſumpſiſſe decebat. Bene providiſti Tuæ gloriæ; vix pubeſcentes egreſſus annos, confeſtim domeſticas exoſus umbras ad Polonas Aquilas convolâſti, ut irretortâ palpebrâ excandeſcentem Byzantinæ Lunæ faciem intueri aſſveſceres. Et aſſveviſti ſanè, ſimulq; probâſti: tam horribili fulgetro non poſſe lædi præclaræ mentis jubar, dum ad ipſius defectum operam admoviſti, quominùs Patriæ fortunam luxuriantibus flammis devaſtaret. Sed neq; Tui laboris exſortem, ut pote conſortem Wyzycciani Sangvinis Fratrē Tuū ILLVSTREM & MAGNIFICVM Vexilliferum Kiiovienſem pronunciare fas & jura ſinunt; etiam hic decorus cum ſuo Caſtore Pollux ſimultaneâ Virtute ſpargit lucem noctes Atticas ſerenantem. Poteſt Tecum Patriâ ſe metiri in haſta, & pariles ſociali dextera prenſare laudis adoreas, quem obſtetricans Lucina in ijſdem cunis faſciavit, cognata Venuſtas ijſdem lineamentis adumbravit, & Genialis propenſio ad eoſdem labores vegetavit. Sic enim exploratum illius robore barbaricas fugari acies, Lunatica ſigna convelli, fanaticos inſultus frangi, ſicut Tuis viribus quamlibet adverſantis Gradivi potentiam labefactari, diminui, infirmari. Evidens ſatis fuerat argumentum à ſimili: pugnâſtis uterq; pugnâſtis ambo florentes ætatibus, Arcades ambo pro intaminatis honoribus, & quanto flagrabant Tua pectora voto optatas audire tubas, campiq; cruentâ tempeſtate frui, truncisq; immergere plantas,

tanto illius mens æstuabat desiderio in militarem cespitem nunc pruinosis tumentem, scatebris, nunc sanguineis fluctuantem rivis provehi, & obstrepenti classico audientem pariter, pariter audentem litare promptitudinem. Igitur non deformis in Te, ac in Fratre Tuo morum concordia, quia non disformis; ætas, forma, & arcanus luminum vigor, pares animi, & quamvis in diversis frontibus una Majestas, nisi quòd sanctioribus admotus negotijs post emensos laborum anfractus, post tolerata magnarum sollicitudinum centipondia Pontificali coronatus Infulâ præemineas, atq; Senatorio murice trabeatus longè lateq; præfulgeas. Et verò magno Tibi constitit honor laticlavius, non modò in sangvinolenta Martis arena prodigaliter fuso sudore emptus, vel millenis ad armorum fragorem licitatus periculis, ac extra præliaris Fortunæ aleam exantlatis laboribus inescatus. Difficilis est nodus Macedonico etiam vix dissolvendus acinace, tenuis ingenij bolide ad profunda operosæ mentis penetrare molimina, quàm callosis humeris totam incommodorum sustentâsti Sicaniam, donec ad Purpuratorum sortem aureus numerus accederes. Non unā eliquâsti è fronte gemmam, dum libertatis Polonæ clenodium tam multis curarum impensis appretiâsti, ut salutis quoq; Tuæ experiri dispendia minimè dubitaveris. Non unum expectorâsti de corde anhelitum, dum Patrijs legibus insomnem cessisti vigilantiam, nè Themis Lechica sub ignorantiæ nube delitesceret. Majus erat cum animæ potentijs sæpè inire Athleticam, quàm cum infensis hostium agminibus periculosum attentare conflictum, tantùmmodò publicæ felicitati optatam augem facesseres. Patuit in adytis consiliorum nunquam non de Tuo capite eruditam prodijsse Palladem, ubi illa limati sensûs oracula, quæ sinuosas fatorum ambages explanarunt, in lucem edidisti. Atq; hinc sinè diminutione Magnorum Nominum auderet Panegyristes calamus elevatiorem in Te deprehendere Indolem, nempe ad ardua rerum momenta supparem, ad dissidentes Civilium animorum conatus flexanimam, & ad omnem Virtutis nutum expeditam, nisi modestiæ Tuæ imperiosa svavitas, quæ semper prædicabili civilitate stipatur, dignam æqualitatē, aut potius eminentiam recusaret. Sed addit stimulum propensio; quamvis abbreviato stylo, hanc tamen illationem Tuis laudibus subscribimus: non tot in Erythræis vorticibus numerari corallia, vel in Hydaspe gemmantes fluctus, quot

quot Tua merita cumulata in Patriam, quibus ultra remotā Peucen, ultimamq; Thulen pro voto suo vectigalis submissio interminalem destinat amplitudinem.

HONOR TRABEATUS A PATRIA.

FRustra superbos Amphytrionius
Tumente fastu jactitat Hercules
Quondam triumphos, quos ab illo
Hesperidum pretiosiore
Revexit horto; non satis ardua
Victoriosi gloria Nominis,
Sat vile laudis pondus, ipsa
In spolium retulisse poma.
Bullata tantis sola crepundijs
Inflatur ætas, in puerilibus
Hic nisus est annis, orexim
Arbuteo satiare partu.
Præstantiores carpit adoreas
Wyżyccianæ dextra propaginis,
Cujus vetusta Crux ab ortu
Fructificat meliore censu.
Stupere nondum desijt arbiter
Polonus Orbis, quanta sub arbore.
Crucis, sago cinctus Gradivus
In Patriæ columen cadentis
Collegit olim commoda? dum malè
Propensa nostris finibus, vltimos
Fines pararet è Cosacis
Barbaries oriunda cunis.

Sensit rebellans Chmielnicij lues,
Tristes, & alto pectore nænias
Deprompsit, in Wyżyccianam
Acta Crucem, velut in Charibdes
Impulsa navis; quæq; domesticis
Turmis salutem Crux dabat, ordines
Ducendo Koniecpolscianos,
Interitu sepelivit hostem.
Vidit fugatas hâc Cruce Patria
A se procellas, vidit ut erigens
Cristas superbus hic ferale
Supplicium Nalevaicus hausit.
Nec iste vobis terminus, unico
Prêndisse tantùm tramite gloriam,
Non sat Vetustis derelictam
Ex Proavis habuisse famam;
Non sat Paternam papilionibus
Vitam sub ipsis ducere, non satis
Sui sequaces quòd phalanges
Impavido benè fultus ausu
Kijoviensis Signifer hostica
In arma ducat, nî quoq; prælia
Tu subires, nî Gradivi
Arma priùs NICOLAE ferres,
Mystes ad aras sanctius antequàm
Pedum tulisti Præsuleum Tibi
Ut pulchriùs murex ruberet
Sanguineo priùs ense tinctus.
Hæc hæc tulisti de Crucis arbore
O Magne CIVIS præmia, Punicis
Adscribe pomis purpurato
Quòd rutiles trabeatus ostro.

MERITA
EXCELLENTISSIMI CIVIS
In
SERENISSIMAM MAIESTATEM.

ET in Regum ædes trepidante licet conatu juvat ſtimulare inceſſum, ubi Tuarum virtutum radiant Phænomena ANTISTES ILLVSTRISSIME. Terreant ut identidem ſolent coronati rumores, multoſq; metus obviam effuſis præmittant paſſibus; & confragoſum eſſe, & lubricum iter ad Principum penetralia, audet nihilominus elumbis tenuitas difficilibus inſiſtere cæptis, dum illi adſtipulatur Wyżycciani Nominis magnitudo. Pridem hoc ſcitum etiam currentis ævi: Auguſtum limen numeroſo cliente cingi, quod nemo apprehendit, niſi cruenti ſudoris effuſione purpuratus. Contingit aliquando planũ eſſe ad Throni conſpectum tramitem, ſed næ ejuſmodi doloſa ſortis alea, nam ſi intrantibus adjocatur proſperitas, commorantibus certæ vertumnæ vices parant leſſum. Sæpè quodcunq; Regnantium conclave Tiberij Palatium dignum cenſeri, poteſt illud quilibet Sejanus illæſo pede ingredi, mox verò ſubitâ correptus vertigine offendit in exitium. Neq; penes Conſtantinum Ablavij fortuna conſtans: degenerat plerumq; Imperialis Aulæ Favonius in Vulturnũ, qui candidos ſucceſſus ferali obnubit tẽpeſtate. Imò & Stiliconis palmare caput tandem funeſtâ redimitur Cupreſſo; nempe apud Honorium plurimus quidem captivatur honor, qui tamen ſic oneribus ſuis coronat, ut vel petitorem frangat, vel deprimat. Planè ſenex aularum felicitas monſtrum eſt: præter Hercynios ſaltus Libycaſq; ſolitudines, grande nimis portẽtũ: in Regalibus tholis ad uſq; canitiẽ provectus favor Majeſtatis. Odit ſilentiũ nomine alioquin Tacitus, Stẽtoreâ voce omnibus notandum ætatibus declamat paradoxum: Principũ

amicitiæ lentè augmētantur ſubitò extinguuntur. Diu neceſse, quia non unius diei tolerare pondus & æſtum, priusquàm trabeatus amor ſuaves amplexus præbeat. Sereniſsima poteſtas non ſtatim blando arridet vultu, quàm ubi plurimis laborum procellis jactatus cliens fuerit; & extra ſpem ſeverum ita contrahit ſupercilium, ut credere fas ſit, non ſolem in ſolio, ſed torvum promicare Orionem. Deſciverat in Te ANTISTES ILLVSTRISSIME variabilis eſſe Regalium ædium fortuna, cujus ingenium ſemper infidum, ſemper fluctibus maris conforme, nullum non ad ſcopulos impellit, & allidit. Nam quomodò Tibi ſucceſſus candorem mentiri debuerant, cum Phoſphorus ille Sarmatici ſolis, etiam nunc poſt ſuum occaſum Illuſtriſſimus, non marcidæ memoriæ Marcus Matczyńſki continuò Regiæ Domûs Primicerius, ac ſimul Palatinus Terrarum Ruſſiæ ad amorem Principis Te manuduxit. Ille inquam verè Pupilla Regis ſatis ſubtili mentis acie latentes ſub nube modeſtiæ advertit in Tuo animo præclaras dotes, quæ ut Sereniſſimæ Majeſtati militarent, Te ſuis affectibus, Te Regio cordi mancipavit, ſcilicet firmum Patriæ columen, Arcanorum Regni tutiſſimum depoſitum, Senatuſq; Poloni futurū complementum. Quanquàm non è Dodonea quercu ſed è pectore Palatino Illuſtriſſimi Palatini hæc apertiſſimæ veritatis promanarunt auguria; quod enim tempus ſilebit, quanto molimine duros pro Principe exſudâſti labores? vix primùm defixiſti pedem ad latus Invictiſſimi & Potentiſſimi Poloniarum Regis IOANNIS III. cujus recordatio toto celebratiſſima Orbe, protinus ſpecioſa Tuæ virtutis decora monſtrâſti ſeneſcentibus annis æmulanda. Nihil Tibi videbatur aſperum coram Sereniſſimæ Majeſtatis facie; tolerabile fuit, ſive invidiæ morſꝰ, quæ purpurā velut teredo rodit, perpeti, inſanæ plebis fremitꝰ, quæ ad auræ ſibilum moveri facilis patiente aure inaudire. Placuit ſæpè negata quies, dummodò Princeps ſecurus quieſceret; ac perinde volupe erat non unam vigiliam agere cum jejunio, ut Domus Regia continuam ſolennitatem celebraret. Sanè rarum in alijs documentum proprijs laboribus Regum felicitatem paciſci. Quisquamne eſt tam fidus Achates, qui magis Æneæ quàm privato bono inſudet? Plures numeramus in purpuratis ædibus Ariſtippos, quos ventris inopia; non cordis egeſtas captivat Principum obſequijs. Ineſcatur plerumq; popularis affectus vel auri pretio

vel

vel mensæ apparatu, & inter calentis pocula Cæcubi quisq; ad officiosam promptitudinem acuit appetitum; quòd si hæc illicia defuerint nunquam festivi amoris orexis reperitur. Elongatum á Te simile vitium ANTISTES ILLVSTRISSIME, proinde tantùm festinus fuisti ad incommoda, nec aliquando nutabas ad nutum Principis, ut illius Amicus extra theatralē scenam innotesceres. Et verò non permisit esse irremuneratum sudorem Tuum optimus Polonæ gentis Regnator: noverat certè quà bello, quà pace inclytus Princeps; & fæcunda ingenia quandoq; posse sterilescere, & robustā Virtutem ad Majores ausus deficere, nisi hanc vigoret præmium, illis verò scaturiat imber aureus. Priusquàm Tibi contulit Sigillum Regni, jam cogitationum suarum fecit conscium, ut Regio cordi Te esse scires obligatum, ad quod ascensiones in corde Tuo disposueras. Nemo sic intimus Ioanni quidem Nomine, Magno tamen gestorum famà Lechico Alexandro evasit Ephæstion, cui ante alios Regiæ mentis arcē penetrare licuit; plures fuêre, qui in illam certabant suum maturare ingressum, sed senserunt repulsam, dum tantùmmodò eas Charites a Majestate extorquebant, quæ prodigaliter spargunt opes. Profectò irritus labor est, Coronatos amores illo adoriri tramite, quo coruscat auri sementis; procul se alienant, si ita appetuntur. Quis moveat dubium, non omnibus communicativam in Ioanne Serenissimo Gratiam, cùm etiam de illa hostilis livor, quam toties furiato amaricavit tumultu, optatam svavitatem delibaverit. Nonnè calcatus Scythes, Triumphatusq; Biston semel probavit luce perfrui coactus? Testis hactenus veneranda Purpuratorum Patrum Curia, quæ Regnantis olim Gratiæ subsidio ad nullam desolationem ingemuit; testis & cujuslibet Ordinis populus, qui eâdem suffragante in felicitatis constitit plenilunio. Reliquos ut taceam; magis in Te perenne memoriale Gratiarum. Adhæsisti firmiter Majestati, imò accessisti ad Cor altum Invictissimi Principis: Nam quòd aliis personuit Ioannes, Vox clamantis, Tibi favorabilis Echo respōdit, Vox amantis. Vidit, & invidit illa non sine singultu reminiscenda ætas, quoties Tecum Regias partiri curas, quoties Tuis recreari alloquijs Terror Orientis consvevit, ut Delicium Majestatis dici meruisses. Par erat prodigio, innumeris onustum caput laureis, iamq; insertum polo sæpè Tuam meditari Indolem,

ac tersæ mentis recogitare Elegantiam, quæ multùm iucundabant Regium cogitatum non postremo duntaxat pretio ponderanda. Quid vultûs amænitas Majestuosa gravitate pollens? quid frontis honoræ sublimis apex? quid innubis oculorum nitor? quàm barbaricis formidabilis obtutibus, tam Tibi amabilis, ut minùs Patroclum Achilles, Mucianum Vespasianus delectaret. Vile æstimatum Serenissimo Ioanni multarum Provinciarũ tributum; possessi quidquid fluviis evolvitur auri, quidquid luce procul venas rimata sequaces abdita pallentis fodit solertia Bessi, Te Vnum ille suæ Coronæ Gemmam, Te Sceptri Decus, Te Regiæ Fortunæ Cimmelium pluris fecit; non nescius: quòd præter fidissimum Amicum, qualis Tu fueras Poloniarũ Throno, nec divitis terræ census, nec spumantis Pactoli fluctus prosperitatis lancem prægravant. Et meritò quidem tanti valoris extitisti ANTISTES ILLVSTRISSIME, ut congestæ latifundiorum opes in comparatione Tuæ Virtutis Dominatori Lechico abiectæ fuerint, qui nullum non movisti lapidem ad pretium Tui comparandum. Potuit interdum armata famulantium cohors somnolentas in Regis obsequio numerare horas, potuit retrahere pedem, atq; animi propensionem ab Augusto latere personata Amicorum frequentia; Te verò nunquam vel pigritantẽ in officiosis operibus, vel absentem à Serenissima præsentia, & dies plurimorum negotiorum portitor, & nox alias studiosa silentij, Tuæ nihilominus quietis impatiẽs observavit: Nimis extẽsum foret, æquè singula Tuæ Indolis Regium amorem provocãtis ac provocati in Te amoris elucidare documenta; obrueretur tam ingenti facinorum mole impotens panegyris, si hanc attingeré præsumeret, nedum supportare. Clarius est meridiano lumine, quàm æviternum Tu cum Principe, & Princeps Tecum fædus inijt, Vterq; certâstis invicem, Tu factis, Ille affectibus; Tu moribus, Ille amoribus: Sed non superstite tantùm Serenissimo IOANNE III. pronus in Majestatem vigor, è vivis etiam sublato vividum exhibuisti obsequium. Lymphatæ mortis turbo cùm primùm extinxit amænum Regni Iubar, jam protinus illa erraticorum siderum phalanx, quæ assveta mutare locum, defecerat, jam ille amicorum candor, qui fingere gaudet promptitudinem; in vanum abierat, Tu nisi ANTISTES ILLVSTRISSIME sic indeficiens, & immobilis stetisti in obsequiosi

amo-

amoris proposito, ut usq; ad mortalitatis Domum deduxeris Coronati exuvias Principis. Magis tunc revelata in lucem Tua merita, dum Regios luxisti manes, & illætabile lethi theatrum, non lætus, quia non siccis oculis respexisti. Funebrales umbræ nequidquam Tuos obscurant pænè excessivos pietatis actus; ipsũ sepulchrale marmor præter Nomen Invictissimi IOANNIS III. & Titulos, quos Regiæ Virtutes impresserant, Te perseverantẽ subscribit Cultorem Majestatis. Despexisti quietem omnẽ postquàm fatali ictu peremptus Princeps decubuit, nimirùm sollicitus quotidie instaurare parentalia, ut illi multifariâ voce cujuslibet conditionis populus Requiem æternam acclamaret. Nullum non egisti diem Cinerum donec Augustis cineribus solenne officium fuisset persolutum, nempe demortui Regis memoriam cunctis suggerens, ut quantocyùs ejus anima ad Dominicam Lætare perveniret. Tam impendiosis pro altera felicitate Regnantis intentus laboribus, nec Domum Regiam longo passus es tabescere mærore. Anxia supra modum ex occasu Nominatissimi sui Capitis Serenissima MARIA CASIMIRA, jam lachrymis, quibus rigaret genas, destituta; jam planctibus, quibus auras compleret, enervata conceperat vitæ odium suoq; IOANNI similis esse optaverat, si Tua minimè accelerásset solatia, quæ leniverunt dolorem, sedaruut gemitum, & lamentis silentium indixerunt. Lectissimus Filiorum Ternio: pignora inquam Potentissimo Genitore orbata, quantos inter se geminabant luctus; hinc Paternarum quondam Virtutum Comes Serenissimus Princeps IACOBVS, hinc ALEXANDER, hinc CONSTANTINVS, uterq; Magnus rerum gerendarum præsagio flebilem eviscerabant næniam, ut planè supremus languor teneros artus invaserit, Tuo tamen conamine alleviamentum factum doloris, ac post lachrymarum procellas paulò tersior in animis Principum exorta malacia. Sic firma connexio stetit Wyżyccianæ CRVCIS cum Gentilitio Serenissimorum SOBIESCIORVM Vmbone, non illam potuit dura laborum antiquare protervia, non quodvis periculorum agmen dirimere, non demùm Fortunæ fatiq; disterminare malesuada temeritas. Sanè prægrandis hæc Tuarum laudum materies litásse Sceptris sudorem, etiam quæcunq; alia si defuerint Virtutum specimina, satis copiosâ dignus es Panegyri, dignus fæcundo plausu. Atqui

AVGVSTVS SECVNDVS bis Sereniſſimus, Electorali nimirum, & Regio decorus geſtamine, non minor cauſa Tuæ gloriæ. Reſciverat Ille nondum Lechici Regni Candidatus, Te ſemel Amicum Majeſtatis ſemper manere ſtabilem, dum in aſſumendo Rege, plurimis Domum Regiam idoneam Sceptro probâſti argumentis, tunc enim oracula eloquio crevêre Tuo, nec dignius unquam Majeſtas meminit ſeſe Romana locutam proinde totū in Te convertit animum, quo Tuum affectum obligaret. Vſq; adeò vectigalis Tibi felicitas: aliquos tantùm lunato pede vix Regum atria adire ſinit, Te verò præter morem Poteſtatibus exhibet venerandum. Vltrò ſe Tuo inſinuant pectori Regales Trabeæ, ſolusq; meta Coronatarum mentium deſtinaris, cùm non neſciant Te talem eſſe Sereniſſimæ Majeſtati, ut omnem proſperitatis radium facilè poſthabeas. Silemus multâ pro Auguſto parta facinora; nam neq; Oratorum fontes exilibus audent diffundi oſtijs, nec umbroſus Helicon attenuatis ſonare vocibus, quatenus proprium quarto modo ſumptum explicare poſſit, quòd ſcilicet Tibi uni, ſoli, & ſemper cum Sereniſſima Majeſtate conveniat, Aderit illa ætas albo notanda calculo, quæ Scholarum Piarum Eloquentiam non pro tempore Tuo militantem Nomini, etſi imparem tanto oneri tandem ad profuſiorem ſtimulabit ſtylum; nunc Te REVERENDISSIMVM ANTISTITEM, ILLVSTRISSIMVM SENATOREM, EXCELLENTISSIMVM CIVEM humilis penna ſolùm annotat, ſimulq; hâc apprecatione Præſuleas plantas adornat: Tibi perenni marmore durior non pænitendis fama coloribus aſſurgat, & geminos Tibi ſacret axes; deniq; ſicut Regios Penates præclaris implêſti ſudoribus, ſic Tuis imple Meritis Solis utramq; domum.

HO-

HONOR
ARCANORUM REGNI
ARBITER
à
SERENISSIMA MAIESTATE.

NOn parva Cœli gratia, Numinum
Accline pectus; par favor, optimæ
Idea sortis si sciamus
Principibus placuisse sceptris.
Non vsitatæ portio gloriæ
Regum sereno lumine palpebram
Nutrire tutam, nec videre
Grandipluos aliquando soles.
Rarò supremi fulminibus Joves
Non terruerunt; quiq; calentibus
Nimbis clientes recreabant,
Irriguos reserando fontes
De liberali vortice, postea
(Ceû nube tectus post jubar aureum
Fervet trisulco Phæbus igne)
Grandineo subito fragore
Mirantur imbres. Rarus Ephæstion
Ad ipsa demum funera, Regij
Constanter & tractu fideli
Cuî pateat penetrale cordis.
Wyżycciano nonnisi Nomini,
Fortuna tanti prodiga muneris,
Ut se Dynastarum favori
Tam stabili sinuâsset alâ.
De mortuali Tertius erigit
Caput Joannes assere, fert adhuc
Accline pectus, quòd superstes
In facili Tibi cessit arte:

 Non

Non ipsa tantùm limina Curiæ Tibi patebant, ut velut arbiter
Rerum, propinquâsses profundis
Consilijs NICOLAE, charus
Gratusq; tanti Principis Aulicus;
Sed imperantis pectoris insuper
Conclave secretum triumpho
Egregio Tibi subjugâsti,
Ut Te Macedo Lechicus alterum
Ephæstionem cordis & ædium
Regalium raro favore
Participem sibi destinârit.
Nec ista miror, quid stupeam? satis
Magnos amores si Tibi contulit
Dynasta Magnus, cum fideli
Obsequio Tibi tanta nôsti
Enundinari; cùm vigor ingenj,
Doctrina, blando suavis amœnitas
Vultu renidens; & modestâ
Dexteritas gravitate pollens,
Multæq; dotes concilient Tibi
Fastigiati cordis amabiles
Regum favores, deq; Sceptris
Te doceant bene promereri.
Quid ni IOANNES pectoris intima
Pandisset vltrò quem sibi sciverat
Ad terminalem mortis ictum
Obsequijs fore promptiorem.
Tales libenter palpebra Principum
Videt Ministros: talibus aurei
Sinum favoris pandit, æquâ
Pro meritis venerando merce.
Abbatiales hâc Tibi contulit
Fasces IOANNES, hâc dedit Infulam
AUGUSTUS, & longè faventis
Plura dabit dominatus aulæ.